JAHRESBERICHT

ÜBER DAS

KURFÜRSTL. GYMNASIUM
ZU RINTELN,

WOMIT

ZU DEN AM 26., 27. UND 28. MÄRZ STATTFINDENDEN

PRÜFUNGEN UND SCHULFEIERLICHKEITEN

ERGEBENST EINLADET

Dr. H. AUG. SCHIEK,

GYMNASIAL - DIRECTOR.

INHALT:

1.) Commentat. de Plutarchi Chaeronensis vita Part. I. von dem beauftragten Lehrer ~~J. F. Krause.~~

2.) Schulnachrichten vom Director.

RINTELN IM MÄRZ 1855.

DRUCK VON C. BÖSENDAHL.

De Plutarchi Chaeronensis vita.

Vita Plutarchi a veteribus scriptoribus memoriae tradita plane caremus; quae enim Suidas [1]) nobis exhibet, perpauca sunt et prorsus pro nihilo habenda; apud ceteros vero scriptores, A. Gellium, Artemidorum, Eunapium, Eusebium, G. Syncellum, Photium aliosque tantum singulas res ad vitam pertinentes sparsim invenimus. Pleraque ergo, quae de Plutarcho constant, ex ejus scriptis hauriuntur, in quibus et suam ipsius vitam et Ammonii, praeceptoris, Plutarchum exposuisse jam Eunapius [2]) sensit. Hoc modo Plutarchi vitam scribere in illa quae Eunapii temporibus erat Plutarcheorum librorum copia licebat;

---

[1]) s. v. Πλούταρχος. cf. Westermann. Vitar. script. Graec. minor. Lib. V., pag. 222. „Πλούταρχος, Χαιρωνεύς, τῆς Βοιωτίας, γεγονὼς ἐπὶ τῶν Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος χρόνων καὶ ἔτι πρόσθεν. Μεταδοὺς δὲ αὐτῷ Τραϊανὸς τῆς τῶν Ὑπάτων ἀξίας προσέταξε μηδένα τῶν κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα ἀρχόντων πάρεξ τῆς αὐτοῦ γνώμης τι διαπράττεσθαι. ἔγραψε δὲ πολλά.“

[2]) Eunapius Sardianus in praefatione libri de vitis sophistar. et philosophorum, §. 8: „Αὐτίκα οὖν ὁ θεσπέσιος Πλούταρχος τόν τε ἑαυτοῦ βίον ἀναγράφει τοῖς βιβλίοις ἐνδιεσπαρμένως καὶ τὸν τοῦ διδασκάλου, καὶ ὅτι γε Ἀμμώνιος Ἀθήνησιν ἐτελεύτα βίον προσειπών. Καίτοι γε τὸ κάλλιστον αὐτοῦ τῶν συγγραμμάτων εἰσὶν οἱ καλούμενοι παράλληλοι βίοι τῶν ἀρίστων κατὰ ἔργα καὶ πράξεις ἀνδρῶν· ἀλλὰ τὸ ἴδιον καὶ τοῦ διδασκάλου καθ' ἕκαστον τῶν βιβλίων ἐγκατέσπειρεν, ὥστε, εἴ τις ὀξυδερκοίη περὶ ταῦτα, καὶ ἀνιχνεύοι κατὰ τὸ προσπίπτον καὶ φαινόμενον, καὶ σωφρόνως τὰ κατὰ μέρος ἀναλέγοιτο, δύνασθαι τὰ πλεῖστα τῶν βεβιωμένων αὐτοῖς εἰδέναι.“

nobis nunc in tanta eorum jactura difficillimum est, qui pauca de Plutarcho, paucissima de Ammonio inde cognovisse satis habere cogimur.

Recentiorum, qui colligentes quae in scriptis superstitibus potuerunt indagari, Plutarchi vitam composuerunt, memorandi sunt:

1) Decius Celer, in libel. de Plutarchi philos. vita. Patav. 1627. 8.

2) Joannes Rualdus, cujus liber de Plutarchi vita editioni Parisiensi hujus operum est praefixus. 1624. fol.

3) Eduardus Corsini, cujus dissertatio de Plutarchi vita Plutarchi de placitis philosophorum libror. V editioni est praemissa. Florent. 1750. 4.

4) Dacier, la vie de Plutarque, in versione gallica Plutarchi vitarum parallelarum. Tom. I. pag. LV—XCVII. Amstelod. 1763. 8.

Praeterea breviter atque obiter de Plutarcho in scriptis historicis et literariis dixerunt.

5) Martinus Hanckius, de Romanar. rerum scriptoribus. Lips. 1675. 4.
cf. Part. I. c. 12. pag. 82 et Part. II. pag. 250.

6) Gerardus Joannes Vossius, de historicis Graecis lib. IV. Francof. ad Moen. 1677. 8.
cf. lib. II. c. 10. pag. 208.

7) Joannes Jonsius, de scriptoribus historiae philosophicae lib. IV cura Dornii. Jenae 1716. 4.
cf. lib. III. c. 6. pag. 22.

8) Jacobus Bruckerus, in historia critica philosophiae. Lips. 1766. 4.
cf. Tom. II. part. I. lib. I. c. 2. sect. 3. §. 12. pag. 178 et in Appendice sive Tom. VI. pag. 357.

9) Joannes Albertus Fabricius, in Bibliothec. Graeca, ed. Harles. Hamburgi 1796. 4.
cf. Vol. V. c. 13. pag. 153.

10) Tillemont, histoire des empereurs Romains. Bruxell. 1693. 8.
cf. Tom. II. seconde partie, pag. 475.

aliique, quos cognoscere licet apud Chr. Saxium in onomastico literario. Tom. I. pag. 286. s. v. Plutarchus.

De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum quatuor dissertationes scripsit A. H. L. Heeren, quae inveniuntur in Commentat. Societat. regiae scientiarum Gotting.

recentioribus ad annum 1812—1818. Tom. I. Tom. III. pag. 57 et Tom. IV. pag. 65 et pag. 95. classis philol. et histor.

De fontibus vitarum Philopoemenis, Flaminini et Pyrrhi J. C. F. Baehr commentationem scripsit, harum vitarum editioni praemissam. 1826. 8.

Neque omitti debent Schaarschmidt, diss. quid Plutarchus vitis illust. viror. compar. spectaverit. 1810. — Eichhoff, über Plutarch's religiös-sittliche Weltansicht. Elberf. 1833. 4.

In citandis Plutarchi scriptis secutus sum in vitis parall. Schaeferi editionem, in moralibus operib. Parisiensem editionem a F. Duebnero curatam.

Cap. I.

De patria Plutarchi.

Plutarchus patria Chaeronensis, natione Boeotus fuit. Boeoticum vero ingenium non accepit, sed a popularium suorum moribus indoleque valde erat diversus. Tota enim Graecia Boeotica regio male infamata erat ejusque incolae stolidi, tardo ingenio insignes, et a literis atque humanitate prorsus alienati habebantur[3]).

Chaeronea patria[4]) parva exiguaque[5]) Boeotiae urbs erat; media fere inter Euripum et sinum Corinthiacum, Orchomeno urbi vicina, sub radicibus Parnassi et Heliconis et in

[3]) Quomodo veteres scriptores de Boeotorum ingenio judicaverint, ex multis locis videre licet. Cic. de fato IV. 7. — Corn. Nep. in Alcibiade XI. 3. et idem in Epaminonda V. 2. — Hor. epist. II. I. 244. — Pind. ed. Dissen. Ol. VI. 90. — Plut. de Ei Delph. c. VI; in orat. I. de esu carnium c. VI. §. 4; de genio Socrat. I. aliique. —

[4]) Plutarchus ortum se Chaeroneae multis locis commemorat, in Cimone exord; in Demosth. c. 19; in Sylla c. 16; in Quaest. Rom. c. 16; de fortuna Rom. cap. 4. ad universum Boeoticam regionem patriam nominat in Quaest. conviv. II. 5. c. 2. §. 6; VII. 4. c. 6. §. 2; IX. 2. c. 3. §. 1. in libro Amator. c. 9. §. 20 et cap. 17. §. 10; in Quaest. Rom. c. 29 et c. 40; in orat. I. de esu carnium c. 6. § 4; aliisque locis. —

[5]) Plut. vit. Demosth. c. 2. — „ἡμεῖς δὲ μικρὰν οἰκοῦντες πόλιν.“ —

dextera ripa Cephissi amnis sita [6]). Jsta urbs nostri Plutarchi natalis non ab initio quidem Chaeronea, sed Arne usurpabatur [7]). Eam antiquissimam fuisse liquet hinc, quod Homero jam cognita erat [8]). Sed denuo exstructa a Chaerone, Apollinis filio, nomen Chaeroneae accepit [9]), quem Plutarchus narrat [10]) urbem ad occasum inclinatam versus ortum convertisse, hocque mutationis genere magnam utilitatem conciliasse.

Chaeronea non solum Plutarchi aetate, sed etiam antea [11]) urbs parva et angusta erat, neque postea floruit. Nunc eodem loco pagus est nomine Kaprenae. Memorabilis est Chaeronea, si historiam respicimus, pugna, quam Sylla ibi contra Archelaum fecit [12]), et Philippi victoria de Atheniensibus ac Thebanis reportata a. 338. a. Ch. n., quae universae Graeciae libertatem finivit [13]).

Cap. II.

De Plutarchi aetate.

Quo anno Plutarchus natus sit et quando e vita decesserit, nescimus neque accuratius definiri potest. Sed quid natalem diem annumve scire attinet, cum aetas ejus

---

6) cf. Strab. geog. IX. 2. Boeotia. „Χαιρώνεια δ'ἐστὶν 'Ορχομενοῦ πλησίον". —

7) Paus. Graec. desc. IX. 11. „ἐκαλεῖτο δὲ ἡ πόλις Ἄρνη τὸ ἀρχαῖον."

8) Hom. Jl. II. 507. „οἵ τε πολυστάφυλον Ἄρνην ἔχον."

9) Pans. c. l. „τὸ δὲ νῦν τοῖς Χαιρωνεῦσιν ὄνομα γεγονέναι (λέγουσιν) ἀπὸ Χαίρωνος, ὃν Ἀπόλλωνός φασιν εἶναι." — Plut. Syll. 17. —

10) Plut. de curios. I. „Καὶ πόλεις τινὲς οὕτω μεταθέντες ὠφέλησαν· ὥσπερ τὴν ἐμὴν πατρίδα πρὸς ζέφυρον ἄνεμον κεκλιμένην, καὶ τὸν ἥλιον ἐρείδοντα δείλης ἀπὸ τοῦ Παρνασοῦ δεχομένην, ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς τραπῆναι λέγουσιν ὑπὸ τοῦ Χαίρωνος." —

11) Plut. Cim. I. „ἅτε δὴ καὶ τῆς πατρίδος ἡμῶν τότε (Luculli temporibus) λυπρὰ πραττούσης καὶ διὰ μικρότητα καὶ πενίαν παρορωμένης." —

12) Paus. IX. 40. 4. „Χαιρωνεῦσι δὲ δύο ἐστὶν ἐν τῇ χώρᾳ τρόπαια, ἃ Ῥωμαῖοι καὶ Σύλλας ἔστησαν, Τάξιλον καὶ στρατιὰν τὴν Μιθριδάτου κρατήσαντες." Plut. Syll. 21.

13) Strab. IX. 2. „ὅπου Φίλιππος ὁ Ἀμύντου μεγάλῃ μάχῃ νικήσας Ἀθηναίους τε καὶ Βοιωτοὺς καὶ Κορινθίους, κατέστη τῆς Ἑλλάδος κύριος." — Just. IX. 3. — Diod. Sic. XVI. 86. —

satis certis ac perspicuis indiciis teneatur? Veterum quidem scriptorum de hac re sententiae valde inter se discrepant, et ut rem plane tractem, eorum opiniones proferam. Origenes [14]) Plutarcho se supparem neque multo aetate posteriorem aperte facit. Origenem autem Alexandriae natum esse a. 191. p. Ch. comperimus ex fastis Siculis, et eum floruisse a. 230. notat Eusebius [15]). Strictius Photius Constantinopolitanus Plutarchum Neronis temporibus vixisse dicit [16]). Strictissime Eusebius [17]) prodit, Neronis anno XIV. Musonium et Plutarchum fama insignes fuisse; quamquam idem alio loco [18]) hoc in Hadriani tempora, ad annum 119. p. Ch. rejicit. Suidas denique narrat, vixisse Plutarchum Trajani Caesaris temporibus et etiam ante.

Quae sententiae obiter et communiter de Plutarchi aetate prolatae conciliandae sunt, si ponimus, alios adolescentiam, alios virilem aetatem, alios senectutem spectavisse. Quando autem Plutarchus natus sit, optime conjiciendum est e lib. de Ei Delphic. cap. I., Plutarcho narrante: interrogatum Delphis, quid haec inscriptio significaret, se, quo melius rem expediret, apud templum consedisse, ubi ipse locus ipsaque disputatio sibi in memoriam revocasset, Ammonium philosophum, quo tempore Nero apud Delphos esset peregrinatus, eadem quaestione exorta, de Ei apud Delphos disseruisse. Varias sententias tum prolatas et suam ipsius explicationem de significatione vocis Ei templo inscriptae Plutarchus repetit et addit cap. XVII., Ammonium postremo dixisse, non convenire quidem hanc adolescentum disputationem nimis refellere, sed respiciendum esse etc. Ex quo patet, Plutarchum juvenem in philosophia Ammonium disputantum audivisse, quo tempore in Graeciam Delphosque Nero profectus sit.

---

[14]) Origenes lib. V. sub finem, contra Celsum. „τοιαῦτα δὲ ἀνέγνωμεν παρά τισι τῶν νεωτέρων, καὶ χθὲς καὶ πρώην γεγενημένων, ὥσπερ παρὰ τῷ Χαιρωνεῖ Πλουτάρχῳ ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς.“

[15]) Euseb. P. chronic. lib. II. num. 2245.

[16]) Phot. biblioth. Cod. 245 in fine. „Ὁ δὲ Πλούταρχος, ὡς αὐτὸς κἀν τῷ παρόντι παραλλήλῳ καὶ ἐν ἄλλοις φησὶν, ἐπὶ τοῦ Νέρωνος ἦν.“ —

[17]) Euseb. chron. lib. II. num. 2084. ad. Ol. 211. a. 4.

[18]) Euseb. chron. lib. II. num. 2135. ad Ol. 224. a. 3. „Πλούταρχος Χαιρωνεὺς, Σέξτος καὶ Ἀγαθόβουλος φιλόσοφοι ἐγνωρίζοντο.“ —

Hoc Neronis iter in Graeciam factum [19]) incidit in imperii annum XIII., L. Fontejo Capitone, C. Julio Rufo Css., vel in a. 67. p. Ch. Tum temporis Plutarchum minimum 16 annos natum fuisse, ex ipso colloquio de Ei in Ammonii schola habito apparet, quippe qui Ammonium de hisce rebus minime contritis nec plane puero convenientibus utiliter jam audiret, adolescens vero minor natu res difficiles, quas tractabat Ammonius certe capere non posset. Mathematicis Plutarchum tum ardenti studio operam navasse in cap. VII. extremo conspicimus, et in expositione de Ei inde a cap. VIII. usque ad cap. XVII. prolata tantam mathematicorum et omnino philosophiae cognitionem prodit, quantam a juvene, minore 16 annorum, expectare non possumus.

Nobis ergo haec considerantibus perspicuum est, Plutarchum post annum Ch. 50. natum esse non posse. Si autem ponimus, eum tum annos 16 jam perfecisse, annum 20. autem nondum superasse, cum literis operam daret, ad annum Ch. 50. recurrimus, quo natus sit, a IX. Claudii imperatoris, vel Ol. 207. a. 2., quem quidem apud plerosque viros doctos invenio. —

Meminit Plutarchus Neronis tamquam sua aetate viventis in vit. Anton. cap. 87. fine. Is Nero Germanicus, inquit, nostra memoria imperans genetricem interfecit suam, vecordiaque et amentia paene imperium Romanum evertit. Matrem autem Agrippinam occidendam curavit Nero a. 59. die 21. Martii. Imperii sui a. XIII., vel Ch. 67. Nero Graecos liberos pronuntiavit, quam sui temporis rem commemorat Plutarchus in Q. Flaminini vit. cap. XII. Interfecti Neronis et jam in orco poenas luentis meminit in libro de sera numinis vindicta cap. 22. fine.

Vespasianum aequalem laudat in Amatorio cap. XXIV. §. 9. et lib. de solertia animalium cap. XIX. §. 10. Ad ejus mortem referendum est, si Plutarchus de sera numinis vindicta cap. XXII. dicit: bonus cum sit, morbo tyrannidem finiet.

Titum, Vespasiani successorem, Plutarchus memorat in praeceptis de sanitate cap. V.

Domitiani, quem Titus successorem habuit, meminit in praecept. ger. reip. cap. XIX. §. 9. Hujus imperatoris caedi a. Ch. 96. Plutarchus fuit superstes. Quod constat ex iis, quae in Amatorio cap. XXV. §. 15. narrat, ubi de Empona, (Epponina a ceteris scri-

---

19) Euseb. chron. lib. II. num. 2083., ubi Neronem Jsthmia, Pythia etc. in Graecia celebrasse narrat. —

ptoribus nominata) illius Julii Sabini uxore, qui contra Vespasianum Caesarem defectionis auctor fuit in Gallia, locutus est. Ipsam, inquit, Caesar interfecit, sed caedis poenas dedit, exiguo temporis spatio tota ipsius stirpe funditus interemta. Nam si universum Vespasiani genus, cum Plutarchus haec scriberet, penitus fuit exstinctum, et Titus et Domitianus, quos filios reliquerat Vespasianus, jam ad inferos abierant. Idem confirmant ea, quae in Numae vit. cap. XIX. inveniuntur, Domitianum mensem Septembrem et Octobrem suis appellationibus transnominasse, verum haud id diu. Quo trucidato, recepisse eos priora nomina.

Trajanus, cui apophthegmata imperatorum et regum dedicavit, a. Ch. 100. bellum Dacicum commovit. Id tanto melius ut gerere posset, in Istro pontem struxit, demum a. 106. ab architectis perfectum, quo anno simul bellum ipsum Trajanus confecit. Haec Trajani tempora Plutarchus respicit in lib. de primo frigido cap. XII. §. 5., ubi: adeo nihil, inquit, in profundo agit frigus. At vero quae in summo sunt, ita a concretione ista mutantur, ut aqua in se coacta atque compressa naves collidat ac perfringat ut testantur, qui nostra memoria cum Caesare ad Istrum in hibernis fuerunt. —

Sed ultra etiam Trajani tempora Plutarchum vixisse, sub Hadriano imperatore, qui a. Ch. 117. Trajano successit, Hieronymus in Eusebiano chronico tradit ad Ol. 224. a. 3. vel Hadriani 3., vel Ch. 119. Plutarchus Chaeroneus, inquit, et Sextus et Agathobulus et Oenomaus philosophus insignes habentur. Suspicari possis hoc loco juniorem Plutarchum, nostri filium, denotari. Sed de nostro Plutarcho Hieronymum loqui, Georgius Syncellus docet [20]) in chronographia sua sub imperatore Hadriano. Idem conjicere liceat ex libr., num seni resp. gerenda sit cap. XVII. §. 3., ubi Plutarchus dicit, se valde senem fuisse, cum Apollinis sacerdotio fungeretur; et de Pythiae oraculis cap. XXIX. extremo, ubi se jactat, ad Delphos adornandos multum contulisse, quod sub Hadriano factum est, quem de Graecia bene meritum fuisse constat.

Ceterum certo testimonio, quo demonstretur, etiam post Hadrianum, cum Antoninus Pius a. Ch. 138. imperium assecutus imperaret, Plutarchum nostrum vixisse, plane care-

---

[20]) cf. Script. Histor. Byzant. corpus ed. Niebuhr. Vol. I. pag. 659. „Πλούταρχος Χαιρωνεὺς φιλόσοφος ἐπιτροπεύειν Ἑλλάδος ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος κατεστάθη γηραιός. Σέξτος φιλόσοφος καὶ Ἀγαθόβουλος καὶ Οἰνόμαος ἐγνωρίζετο." —

mus; quamquam vir maxime doctus G. J. Vossius, de histor. Graec. lib. II. cap. 10. Plutarchum affirmat sub Antonino Pio factum esse Apollinis Pythii sacerdotem, ut liqueat ex libro ejus, num seni respublica gerenda sit, ubi Plutarchus quidem dicit, jam senem Apollinis Pythii se sacerdotem fuisse; at sub Antonino Pio eum sacerdotio functum esse, nusquam reperimus.

Itaque quando obierit Plutarchus, nos fugit. Verisimile est, eum circa a. Ch. 120. diem supremum obisse, 70 annos natum. Corsinius ex quibusdam Plutarchi scriptorum locis ratiocinatur, eum Hadriani Caesaris XVIII. annum, h. e. a. Ch. 134. attigisse, ideoque annum vitae 80. superasse. Contra Dacier Plutarchi mortem ante Hadriani imperium, h. e. ante a. Ch. 117. evenisse putavit, vitae aetate 62 vel 65 annorum.

Omittere nolo quod de Plutarchi morte refert Artemidorus[21]). Morti vicinum eum somniasse, in coelum se adscendere duce Mercurio, et proximo die quendam hoc interpretatum esse, fore eum beatum, h. e. moriturum. Adscensum enim in coelum excellentissimam beatitudinem significare. Jdque etiam ita evenisse, pauloqne post Plutarchum decessisse. —

Cap. III.

De parentibus Plutarchi.

Oriundus est Plutarchus familia illustri et eruditionis fama celebri, quae in numero nobilissimarum ac praeclarissimarum Chaeroneae gentium habebatur. Ex iis quae passim de patre dixit, eum minime ineruditnm cognoscimus, sed philosophiae gnarum fuisse, in historicis et poëtis legendis admodun volutatum. Sin naturae ac morum ejus

21) Artemid. Oneirocrit. lib. IV. cap. 47. „῾Ο Πλούταρχος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβαίνειν ὑπὸ τοῦ ῾Ερμοῦ ἀγόμενος ἐδόκει, καὶ τῇ ἐπιούσῃ ὄναρ ἐπεκρίνατό τις αὐτῷ τὸν ὄνειρον καὶ ἔφη, μακάριον ἔσεσθαι αὐτὸν, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ εἰς τὸν οὐρανὸν αὐτὸν ἀναβαίνειν, τὴν ὑπερβάλλουσαν εὐδαιμονίαν. ῎Ετυχε δὲ νοσῶν, καὶ ὑπὸ τῆς νόσου κακῶς διακείμενος, καὶ οὐκ εἰς μακρὰν ἀπέθανε.“ —

rationem habemus, liberalitate maxima, aequitate ac modestia erat insignis. Ac praecipue Plutarchus singularem beneficentiam laudat ac prudentiam in declinanda invidia. Nam Plutarchus adhuc juvenis ad proconsulem legatus missus est cum collega: hoc autem in itinere subsistente, solus rem coram confecit: cum autem reversus rationem obitae legationis redditurus esset, pater seorsim monuit, ne diceret, profectus sum, sed, profecti sumus, neque, dixi, sed, diximus, eodemqne modo reliqua omnia cum socio inter referendum communicaret. Qui id facit, non solum modestum se ostendit, sed etiam (quod statim subjungit Plutarchus[22]) suam gloriam ab aliorum invidia tutam praestat. Divitiis ac fortunae bonis nequaqam caruisse videtur, cum diligens esset rerum, quae vitam instruant et ad bene beateqne vivendum pertineant, ac voluptati indulgens semper praestantissimis uteretur equis[23]).

In quo officio versatus sit, nusquam traditum est; at verisimile, eum literis vacasse et magistratun apud Chaeronenses gessisse. Patris meminit Plutarchus aliquoties in Quaest. convival.[24]), sed ejus nomen omisit, in iis saltem libris, qui annos tulerunt. Corsinius ei ab avo Nicarcho nomen inditum esse more Graecorum suspicatur.

Proavo Plutarchi, ut jam dixi, Nicarchi nomen fuit. Is Actiacae victoriae temporibus superstes fuit. Plutarchus enim narrat[25]), saepius eum commemorasse, omnes Chaeroneae cives modum praefinitum tritici usque ad mare Anticyram humeris deferre ab Antonio coactos esse, flagellis ad maturandum per milites concitatos. Semel jam itinere facto, et uno onere sic portato, cum denuo modus metiretur, denunciatum esse, Antonium pugna Actiaca victum, quo nuntio civitas servata esset. Extemplo enim procuratoribus et militibus Antonii fuga elapsis, frumentum cives inter se divisisse. —

Nicarchi filius Lamprias fuit, Caesaris Augusti temporum aequalis[26]), cujus honorificentissime plus semel ex occasione meminit Plutarchus. Eum disertum atque eloquentem

---

22) Plut. praec. ger. reip. 20, 6. —

23) Plut. Quaest. conv. II. 8, 2; —

24) Quaest. conv. I. 2, 2; II. 8; III. 7. 1, §. 3; 8, 1; 9, 2, §. 2; Praec. ger. reip. 20, 6. —

25) in vit. Anton. cap. 68; neque alibi ejus mentionen ullam facit. —

26) cf. Plut. vit. Anton. cap. 28., ubi Plutarchus refert id quod Lamprias de splendido victu cultuque Antonii et Cleopatrae Alexandriae a Philota medico audiverit.—

nominat, et praecipue inter potandum, ait[27]), inveniendi ac disputandi facultate sibi ipsum praestitisse; ac dicere solitum esse, a vini calore vaporem quendam, veluti a thure fieret, edi, quo oppleretur. Vir animi mitis et hilaris nobis Quaest. conviv. perlegentibus occurrit hic senex, quem nonnisi maxima cum voluptate inter filios, affines ac propinquos videmus, facetiis coenam condientem, urbanitate, lepore, suavitate insignem. Natura ingenio alacri praeditus et magna scientiae copia instructus praeter omnia respicit alios instituere et multa expertus optima praecepta exponere, simul ad aequitatem probitatemque adhortans. Maximum igitur erga eum amorem Plutarchus habebat et monumentum praeclarissimum ei posuit, cum in permultis scriptis[28]) colloquentem eum introducit, ejus nomen oblivioni eripiens. —

Fratres habuit Plutarchus duos, Lampriam et Timonem, ambos ingenio elegante atque optimarum artium studiis eruditos, quos de rebus haud protritis neque vulgariter disputantes inducere non dubitavit.

Apud Fabricium in catalogo convivarum Xenoclem quoque Plutarchi fratrem nominatum invenio. Quodsi ita haberet, Plutarchus certe aliis locis ejus mentionem fecisset. Plutarchi verba, quibus nititur Fabricius, haecce sunt[29]): *Πεπαυμένων δὲ δειπνεῖν τῶν ἄλλων, Ξενοκλῆς ἀδελφὸς, ὥςπερ εἰώθει, τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν Λαμπρίαν, εἰς ἀδδηφαγίαν Βοιώτιον ἐπέσκωπτεν.* Hic Xenocles frater Glauciae, ante memorati, intelligendus est; aut cum Duebnero potius corrigendum „*Ξενονλῆς ὁ Δελφός*"; male enim conveniat Xenocli, natione Boeoto, si Plutarchi frater esset, Lampriam Boeoticae edacitatis scommate impetere.

Plutarchus major natu fuisse videtur quam Lamprias. A Timone enim, cum in convivio instituto unumquemque ingredientem eo quo liberet loco juberet accumbere, et a patre, finita coena, controversiae ortae judex statuitur[30]): nonne melius sit, ab initio, ut

---

27) Plut. Quaest. conv. 1. 5, 1. §. 5. „*ἦν δὲ Λαμπρίας, ὁ ἡμέτερος πάππος, ἐν τῷ πίνειν εὑρετικώτατος αὐτὸς αὑτοῦ καὶ λογιώτατος· εἰώθει δὲ λέγειν ὅτι τῷ λιβανωτῷ παραπλησίως ὑπὸ θερμότητος ἀναθυμιᾶται.*" —

28) in Quaest. conv. V. 5 et 6; 8, 3 et quaest. 9. Ejus quoque meminit in Quaest. conv. I. 5; IX. 2; in vita Anton. cap. 28. —

29) Plut. Quaest. conviv. II. quaest. 2. §. 1. —

30) Quaest. conv. I. 2; 2; —

pater jusserat, in coena suum cuique locum adsignare. Minori natu certe Timon judicium non tribuisset.

Lamprias, qui una cum Plutarcho Ammonio praeceptore usus est, natura facetus erat, et Plutarchus ipse eum nominat [31]) dicacem et risus captatorem. Valde promptus in corporis exercitationibus erat, et Plutarchus eum tradit [32]) pyrrhichen commode saltasse et manibus gesticulantem in palaestra reliquos superasse pueros.

Lampriam ante Timonem e vita decessisse concludere liceat ex libro de amore fraterno cap. 16. extremo, ubi Plutarchus se felicem praedicat, cum multa obtigerint, ob quae fortunae gratias agere debeat; maximum vero fortunae donum sibi esse Timonis fratris benevolentiam et amorem in se oblatum, ut nemo eorum ignoret, qui quovis modo secum rem habuerint, minime omnium familiares sui. Si Lamprias tum temporis, cum haec Plutarchus scriberet, vixisset, de Timone solo non verba fecisset. Ambo enim fratres eadem pietate atque eodem amore cum eo conjuncti erant, et Plutarchus utrumque singulari amore amabat, et caritati respondebat, quod ex multis locis perspicitur, quibus fratrum meminit [33]).

Num Plutarchus sorores quoque habuerit, incertum est; quam rem infra latius et fusius tractabo, cum nunc de Plutarchi educatione et institutione pauca verba facere tempus sit.

Cap. IV.

De Ammonio, Plutarchi praeceptore.

Ammonio magistro ad artes et bonas disciplinas incubuit Plutarchus profecitque in literis [34]). De hoc vero pleraque nos fugiunt; nam vitam Ammonii discipulus non

---

31) Quaest. conv. VIII. 6, 5; —

32) Quaest. conv. IX. 15, 1; —

33) Lampriam colloquentem introducit in quaest. de Ei Delphico; in lib. de defectu oraculor. et in libro de facie in luna; in Quaest. conv. I. 2, 8; IV. 5 et 6; VIII. 5; IX. 5; 6 et 14. —

Timon colloquitur in Quaest. conv. I. 2; II. 5, et in lib. de sera numinis vindicta. —

34) Eunap. in praef. de vitis sophist. et philos. §. 6. „Ἐν οἷς Ἀμμώνιός τε ἦν ὁ ἐξ Αἰγύπτου, Πλουτάρχου τοῦ θειοτάτου γεγονὼς διδάσκαλος.“ —

edidit, et quamquam Eunapio teste ejus acta singulis libris inspersit, ita ut, si quis in eos acrius oculos intendat eosque pervestiget, vitam Ammonii cognoscat, tamen in iis libris, qui adhuc exstant, paucissima de Ammonio reperiuntur. Permulta Plutarchi scripta, in quibus de praeceptore dixit, perierunt, et in his liber, qui erat inscriptus: „Ἀμμώνιος, ἢ περὶ τοῦ μὴ ἡδέως τῇ κακίᾳ, συνεῖναι.“ 35) Alexandriae eum natum esse dicit Eunapius, et Athenis docuisse Plutarchi ipsius testimonio constat. Ibi quoque vitam cum morte commutavit.

Philosophiam eum secutum fuisse peripateticam, sed cum Platonicis et Stoicis placitis mixtam iisque accomodatam, ex Plutarchi quoque scriptis patet, qui et ipse hanc philosophandi rationem edoctus est studioseque excoluit. Mixtum illud philosophiae genus in Lyceum introduxit Ammonius, aliisque exemplum dedit ad hanc philosophandi rationem colendam.

Ammonium nostrum saeculo integro antiquiorem male confundit Hadrianus Junius 36) cum Ammonio Sacca, Plotini praeceptore, qui Alexandriae natus Platonicae et Peripateticae sectae decreta in concordiam revocavit primus. Nec confundendus est cum eo Ammonio, qui ante Augusti imperium Alexandriae floruit, et in Aristarchi schola non philosophiam sed grammaticam docuit, ut jam ostendit L. Kusterus 37). Nostrum Ammonium unum eundemque esse cum Ammonio, qui cognominetur Lamprensis, e Lampri, Attico pago, et plures scripserit libros „περὶ βωμῶν καὶ θυσίων“, a veteribus grammaticis laudatos, Corsinius demonstrare adnititur. Eum enim ab Eunapio quidem Aegyptium, a ceteris autem Lamprensem vocari, quod ille in Aegypto quidem natus sit, Athenis vero lares fixerit, ibique in Lamprensem populum adeoque in Erechtheidem tribum adscriptus sit.

Ceterum Ammonius vir erat doctissimus multa et recondita eruditione perpolitus, ut apparet ex omnibus colloquiis, in quibus a Plutarcho disputans introducitur. Ejus discipuli summo opere maximoque studio tractare debebant, id quod Ammonius in medium proferebat. Qui quidem verebantur de ea re disserere, in quam Ammonius disputaret, et

---

35) cf. Lampriae scriptor. patris sui catalog. nro. 83. —

36) ad. Eunap. praef. de sophist. vitis. —

37) v. Annotationes ad Suidae lexicon. s. v. Ἀμμώνιος. —

Plutarcho teste [38]), cum aliquando de quadam re ageretur, non prius dicere ausi sunt, quam Ammonius securitatem ostendit ac pollicitus est, nihil se dicturum adversus ea, quae praeposita essent. Mathematicis quoque operam navabat Ammonius, quia philosophiae partem nequaquam contemnendam in mathematicis posuit disciplinis [39]).

Qua ratione usus sit Ammonius in puniendis discipulis, qui delicta commiserant, ex libro videmus de adulator et amico cap. 31., Plutarcho dicente: Ammonius magister noster et institutor, cum in pomeridiano congressu animadvertisset, discipulos quosdam usos esse prandio non simplici, puerum suum a liberto verberari jussit, causam addens, quod sine aceto prandere non posset; simulque in nos flexit oculos, ita ut haec increpatio reos tetigerit. Quomodo instituerit, exemplum nobis affert Plutarchus in Quaest. conv. lib. III. quaest. I. cap. 2. §. 1., ubi Ammonius irridet usum sertis ornandae comae, et adolescentes quidam, qui cum Ammonio non consueverant, perturbati, serta paulatim detraxerunt. Ego autem, inquit Plutarchus, qui scirem, exercitationis causa et disputationis haec ab eo in medium proposita, Tryphonem compellavi etc. — Athenis identidem praetor fuit Ammonius, ut Plutarchus narrat [40]).

Ex quo aetatis anno et quamdiu Ammonio institutore usus sit, nescimus. Attamen verisimile est, Plutarchum ultra 5 vel 6 annos apud Ammonium Athenis non vixisse.

Num Plutarchus alios quoque praeceptores habuerit, et quasnam disciplinas praeter philosophiam et mathematica edoctus sit, ignotum est. Vix crediderim, Plutarchum aliis etiam praeceptoribus usum esse. Nam et Eunapii verba id satis innuunt, et cum grato memoreque animo esset adversus omnes quoque modo de se bene meritos, certe in tot operibus, quae Plutarchus scripsit, eos nominandi, quibus ingenii culturam debebat, occasionem non omisisset.

---

38) Quaest. conv. III. 2, 2. §. 1. —

39) cf. Lib. de Ei Delphico cap. 27. —

40) Quaest. conviv. VIII. 3; „Θορυβός τις, ἑστιωμένων ἡμῶν Ἀθήνησι παρ' Ἀμμωνίῳ, τὴν οἰκίαν περιήχησεν, ἔξωθεν ἐπιβοωμένων τὸν στρατηγόν· ἐστρατήγει δὲ τὸ τρίτον ὁ Ἀμμώνιος." Ammonius disputans introducitur in Quaest. conv. III. 1, 2; VIII, 3; et saepissime in libro IX., in lib. de oraculor. defectu; in lib. de Ei Delphico etc. —

Ceterum maximam perlegendis scriptoribus graecis operam navavit, et imprimis in scriptis Platonis et Aristotelis volutatus erat. Itaque libri ad scientias cumulatissime comparandas Plutarcho subsidium longe maximum fuerunt. In quoscunque oratores, poëtas, historicos, medicos, philosophos, mathematicos, geographos et alios auctores incidere potuit, eos incredibili aviditate assiduitateque summa legit, contulit, judicavit, excerpsit.

In vitis parallelis solis ducentos quadraginta amplius scriptores eum laudare observatum habemus. His adde, qui alii non pauci ab eodem in Ethicis sive Moralibus passim nominantur: conjunge quos ne nominavit quidem: adjice postremo quos alios adduxit in iis operibus, quae ab eo edita plus quam centum quinquaginta nobis tota interciderunt.

Plutarchus omnia scripta, quae ad literas illustrandas vel augendas idonea essent, in perlegendo summa cum cura et industria excerpsit et in adversaria tabulasque retulit. Itaque ex quo tempore animum ad scribendum appulit, si quod opus in quacumque materia edere sine mora incitaretur, ad suos illos commentarios haud frustra confugiebat. Perspicue ipse dicit[41], se ex commentariis, quos sibi fecisset, commentationem de animi tranquillitate collegisse. Hoc modo tam admirabilem cognitionem veterum scriptorum ac tantam scientiarum copiam in omnibus rebus assecutus est.

Non minori usui itinera erant Plutarcho ad cognoscendos hominum mores; et restat, ut de itineribus ab eo factis dicam. —

Cap. V.

De itineribus Plutarchi.

Compluria itinera fecit Plutarchus non tam discendi visendique causa quam officiis publicis functurus. Adhuc juvenis cum collega decreto publico ad Proconsolem missus

---

[41]) Plut. de tranquillitate animi cap. 1. „*Μήτε δὲ χρόνον ἔχων, ὡς προῃρούμην, γενέσθαι πρὸς οἷς ἐβούλου, μήτε ὑπομένων κεναῖς παντάπασι τὸν ἄνδρα χερσὶν ὀφθῆναί σοι παρ' ἡμῶν ἀφιγμένον, ἀνελεξάμην περὶ εὐθυμίας ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ὧν ἐμαυτῷ πεποιημένος ἐτύγχανον.*“ —

est legatus a Chaeronensibus[42]. Ubi Proconsul domicilium habuerit, nos fugit. Romae quoque versatus est et in Italia ad publica negotia procuranda[43]. Non vero reipublicae tantum gerendae muneribusque publicis vacavit Plutarchus Romae, sed philosophiam quoque docuit.

Itinera vero quando fecerit, difficillimum est dictu, cum eorum mentio in scriptis disperse facta modo ad universum spectet et nunquam certa tempora respiciantur, ad singulas res factas pertinentia. Satis ergo habere cogimur finem quendam constituere, quo itinera obierit Plutarchus, ita ut statuamus, primum Vespasiani extremis annis Romam eum profectum esse, neque post mortuum Domitianum amplius eo rediisse. Chaeroneae enim circa a. Ch. 100. publico officio fungebatur Plutarchus et Telearchiae[44]) praefuit, quae munera summa cum diligentia administravit. Dein vero multas Pythiades Apollinis sacerdos fuit[45]). Pythias spatium quatuor erat annorum, sicut Olympias. Sin autem ab eo tempore, quo Plutarchus publico muneri Chaeroneae praefuit, plures enumeramus pythiades, fere ad aetatis annum 70. veniremus, qua aetate Plutarchus certe non amplius profectus est, sed semper Chaeroneae vixit ab ultimis Domitiani annis usque ad suam mortem. Addendum est, Plutarchum amore, quem in patriam habuit, coactum quasi fuisse ibi versari, ut ipse tradit in vit. Demosth. cap. 2.: Nos vero, inquit, qui exiguum colimus oppidum, ne minus reddatur, semper ibi commorari avemus. Quam praeclare dictum a Plutarcho, et ut paucissimum ita gravissimum. Vir enim sapiens maximeque celebratus, ut Plutarchus, non solum parvum oppidum sustinet et prohibet, quominus in oblivionem veniat, sed etiam florentissimae urbis famam augere valet. Idem Cato Uticensis

---

42) cf. Plut. Praec. ger. reip. 20, 6. „Μέμνημαι νέον ἐμαυτὸν ἔτι πρεσβευτὴν μεθ' ἑτέρου πεμφθέντα πρὸς ἀνθύπατον.“ —

43) cf. Plut. vit. Demosth. cap. 2. „ἐν δὲ Ῥώμῃ καὶ ταῖς περὶ τὴν Ἰταλίαν διατριβαῖς οὐ σχολῆς οὔσης γυμνάζεσθαι περὶ τὴν Ῥωμαϊκὴν διάλεκτον ὑπὸ χρειῶν πολιτικῶν καὶ τῶν διὰ φιλοσοφίαν πλησιαζόντων ἠρξάμεθα etc.“ —

44) cf. Praec. reip. ger. 19, 9. „οἷα Περγαμηνοὺς ἐπὶ Νέρωνος κατέλαβε πράγματα, καὶ Ῥοδίους ἔναγχος ἐπὶ Δομετιανοῦ, etc.“ Ex his verbis intelligitur, hunc librum non diu post Domitiani mortem scriptum esse, et iisdem temporibus Plutarchum Telearchiam administrasse videtur ex ejusdem libri c. 15. §. 2—5.

45) cf. Plut. Lib., num seni resp. ger. sit. cap. 17. §. 3.

sensit[46]), cum in Asiam proficisceretur ad Athenodorum philosophum persuadendum, ut secum Romam iret, et assecutus id quod voluit, ovans et glorians eum in castra deduxit et tali afficiebatur voluptate ac si maximam reportasset victoriam. Si autem peregrinus urbi tantum tribuit honorem, quantam gloriam non efficiet philosophus insignis et praeclarus scriptor patriae, ubi mundi lucem viderit et ubi vitam finire praetulerit, quamvis alibi maxima haberet commoda. Nil ergo Plutarcho majori esse potest decori, quam hic in Chaeroneam amor. Ab aetatis igitur anno 25. usque ad a. 50. Plutarchus omnia sua itinera confecit.

Diu in Italia versatus est; quoties Romae fuerit, nescimus, sed compluria itinera illum eo fecisse ex ipsius scriptis constat[47]). Quo vero tempore aut sub quo principe quibusve causis Romam migraverit aliquoties, plane et certe constituere non possumus. Ante Vespasiani imperium Romam non vidit, siquidem extremo Neronis principatu adhuc agebat in Graecia; neque serius Romam inhabitavit quam Tito imperante, quod Arulenum Rusticum inter auditores Romae habuit, qui a Domitiano, Titi successore, de medio sublatus est[48]). Nonnulli putant, Romam, relictis laribus patriis, migravisse Plutarchum Sossii Senecionis hortatu, quocum maxima amicitia conjunctus erat et cujus commendatione fortasse in principum aulam atque amicitiam intromissus est. Plutarchi summum in hunc amorem demonstrant cum ejus commentarius: quomodo quis se in virtute proficere cognoscat, tum vitae parallelae ac denique novem volumina Quaestionum convivalium, quae omnia Senecioni dedicavit. Potius tamen crediderim, Plutarchum primum impetum cepisse demigrandi Romam ea spe, ut ibi nancisceretur affatim res et adjumenta ad contexenda opera, quae animo suo moliebatur, et praecipue ad vitas illustrium virorum scribendas, id quod in magnis duntaxat urbibus commode fieri posset, ut ipse docet in vit. Demosth. cap. 2., ubi Plutarchus: At qui, inquit, historiam conscribere instituit, non ex iis quae ad manum

[46]) cf. de hac re Plut. vit. Caton. min. cap. 10. et Lib., maxime cum princip. viris philos. esse disserend. cap. 1. §. 12. —

[47]) Plut. Quaest. conv. VIII. 7, 1. Σύλλας ὁ Καρχηδόνιος εἰς Ῥώμην ἀφικομένῳ μοι διὰ χρόνου, τὸ ὑποδεκτικὸν, ὡς Ῥωμαῖοι καλοῦσι, καταγγείλας δεῖπνον, ἄλλους παρέλαβεν etc.“ —

[48]) Plut. de curios. cap. 15. „Ἐμοῦ ποτὲ ἐν Ῥώμῃ διαλεγομένου, Ῥούστικος ἐκεῖνος, ὃν ὕστερον ἀπέκτεινε Δομετιανὸς τῇ δόξῃ φθονήσας, ἠκροᾶτο etc.“ —

sunt et domesticis, sed ex multis externis et diffusa lectione collectam; hic profecto praecipue requirat insignem civitatem, elegantem et populosam, quo variorum librorum promptam habeat copiam, et quae scriptores praeterierunt audiendo percipiat percuncteturque sedulo, ne opus edat perperum, multis et necessariis rebus omissis.

Ex Italia reversus Aegyptum attigisse videtur Plutarchus, ubi aliquandiu moratus subtiliorem Aegyptiarum rerum, sacrorum, deorum rituumque cognitionem sibi paravit, quam uberrime in libro de Iside etOsiride exposuit. Alexandriam quidem se visisse, quae urbs iis adhuc temporibus Musarum sedes habebatur et a multis literarum causa frequentabatur, ipse dicit[49]) et laetatur de honoribus reverso sibi ab amicis tributis, in quorum numero maxima et splendidissima fuerint convivia.

In Asiam quoque peregrinatum esse Plutarchum non improbabile nobis videatur, considerantibus ea quae in Quaest., animine an corporis affectiones sint pejores c. 4. dixit: Quid attinet, inquit, varios animi morbos enarrare. Jam satis de ea re haecce tempora nos admonent. Videas enim ingentem istam ac promiscuam hominum turbam huc in forum et ad tribunal confluentem. Qui quidem non conveniunt, ut diis patriis sacra faciant, ut Jovi Ascraeo frugum Lydiarum primitias devoveant, sed peste quasi litibus impliciti, totius Asiae incolae in hunc locum eonvolant, ut judicia et contentiones, quibus certus est dies constitutus, peragant. Quae negotiorum et causarum copia in hunc unicum forum confertim incidit!

Cum Asiae et Lydiae primitiae memorentur, haecce verba ad Sardes spectant, caput illud Lydiae antiquum, in quo Plutarchi temporibus Romani praetores habitabant et Asianorum controversias dirimebant. Qua in urbe Plutarchus hunc librum scripsisse videtur, fortasse insana illa et truculenta turba commotus, quam litium causa in forum concurrentem conspexit. Ibi quoque Menemachum illum cognovit, juvenem ac divitem civem Sardiensem, cui praecepta reipublicae gerendae inscripsit, et alium Sardiensem, ad quem librum de exilio misit. —

---

49) in Quaest. conv. V. 5. 1. §. 1. „ἃς ἐποιεῖτο τῶν φίλων ἕκαστος ἑστιῶν ἡμᾶς ἥκοντας ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας.“ —

Praeterea Plutarchus totam fere Graeciam permigravit ac compluries Delphos [50]) visit atque Athenas [51]), ubi ipse in tribum Leontidem adscriptus erat [52]), Corinthum [53]), Eleusim [54]), Elim [55]), Aedepsum [56]) in Euboea, Thermopylas [57]), Tanagram, ubi de filiolae morte certior factus est [58]), Sunium [59]), Thespias [60]), Hiampolin [61]) in Phocensium regione. —

Cap. VI.

Quando et quo Plutarchus inclaruerit.

Ex Ammonii schola vix reversus Plutarchus jam in patria floruit et animi mentisque indole magnam habuit admirationem, cum adhuc juvenis gravissimum legationis munus administraret. Sed tamen errat Hieronymus in chronico Eusebiano dicens, Neronis imperatoris anno 14. vel Ch. 68. Plutarchum insignem fuisse. Qua enim ratione Plutarchus demum annos 18 natus jam tum inter viros literatos tota Graecia et Italia notus esse potuit? In contrarium vero errorem incidit idem Hieronymus, si alio loco tradit, Plutarchum circa annum Ch. 119. floruisse, quo tempore jam diutissime maximam assecutus erat gloriam. Ut sub Nerone nullum, ita sub Vespasiano ullum habuit nomen; et

---

50) cf. Plut. Quaest. conv. V. 2; VII. 1; de Ei Delph. 1.

51) cf. Plut. vit. Demosth. c. 31; Quaest. conv. I. 1, 10; II, 6; III. 1; V. 1; VII. 9; VIII. 3; IX. —

52) cf. Quaest. conv. I. 10, 1; —

53) ibid. V. 3; VIII. 4; —

54) ibid. II. 2; —

55) ibid. IV. 2;

56) ibid. IV. 4; —

57) ibid. VIII. I0; —

58) v. consol. ad uxorem cap. 1. —

59) Quaest. conv. III. 10; —

60) v. Amator. 2. —

61) Quaest. conv. IV. 1; —

inclarescere coepit sub Domitiano; multum vero auxit nominis decus sub Nerva et Trajano, perillustrium virorum Romanorum et Graecorum vitis perfectis. Nam cum regum et imperatorum apophthegmata Trajano dedicata conscriberet, vitae parallelae, hoc praeclarissimum atque elegantissimum Plutarchi opus, jam in lucem editae erant, ut apparet ex apophthegmatum prooemio, Plutarcho dicente: sane etiam vitas habet opus nostrum de claris apud Romanos et Graecos ducibus, legumlatoribus et imperatoribus. Verum pleraeque actiones admixtam habent fortunam: quae vero inter agendum interque animi affectiones et eventa proferuntur voces atque pronunciata, pure tamquam in speculis contemplandum uniuscujusque animi sensum proponunt.

Vespasiano imperante Romae moratus est Plutarchus ibique lectiones philosophicas habuit. Eruditionis et justitiae fama ita excelluit, ut controversiarum arbitrium ei offerretur, quod aliquando Romae suscepisse inter duos fratres narrat [62]), quorum alter philosophiae operam navasset, attamen fratris et philosophi nomine indignus fuisset.

Repleta semper erat Romae Plutarchi domus viris nobilissimis ac praeclarissimis, ejus audiendi cupidis. His enim temporibus ipsi imperatores summa opera studebant literis et favebant magnorum philosophorum et perillustrium rhetorum lectionibus. Quam diligenter ac strenue Plutarchi lectiones auditae sint, ex iis apparet, quae Plutarchus ipse narrat in libr. de curiositate cap. 15: Rustico Aruleno, inquit, quem postea Domitianus, invidia gloriae ejus impulsus interfecit, cum me disserentem aliquando audiret, interveniens miles epistolam a Caesare missam tradidit; intermittentem me orationem ipsique spatium legendarum literarum concedentem, ipse retinuit neque antea epistolam solvit, quam ego perorassem et missa esset schola; omnibus viri gravitatem admirantibus.

Quas lectiones Plutarchus lingua graeca habuit, quia latine loqui non potuit, ac sero demum aetate provectiore Romanas attigit literas [63]), in quibus non tam ex verbis,

---

[62]) Plut. in lib. de amor. frat. cap. 4. „*Οἶδα γοῦν ἐμαυτὸν ἐν Ῥώμῃ δυοῖν ἀδελφῶν ἀναδεξάμενον δίαιταν, ὧν ἅτερος ἐδόκει φιλοσοφεῖν· ἦν δὲ, ὡς ἔοικεν, οὐ μόνον ἀδελφὸς, ἀλλὰ καὶ φιλόσοφος ψευδεπίγραφος καὶ ψευδώνυμος· ἐμοῦ γὰρ ἀξιοῦντος αὐτὸν ὡς ἀδελφῷ καὶ ἰδιώτῃ φιλόσοφον προσφέρεσθαι· Ταῦτα, εἶπεν, ὡς πρὸς ἰδιώτην ἀληθῶς· ἐγὼ δὲ οὐ σεμνὸν οὐδὲ μέγα ποιοῦμαι τὸ ἐκ τῶν αὐτῶν μορίων γεγονέναι. Σὺ μὲν, ἔφην ἐγὼ, δῆλος εἶ μηδὲ τὸ ἐκ μορίων γεγονέναι, μέγα καὶ σεμνὸν ἡγούμενος.*“ —

[63]) cf. Plut. vit. Demosth. cap. 2. —

ut fieri solet, res cognovisse et percepisse fatetur, quam ex rebus harum notitias ac voces. Latinae quidem linguae, ait, elegantiam ac pronunciationis ornamenta et volubilitatem assequi, translationes et verborum compositiones ceteraque cognoscere, quibus illustretur oratio, bellum esse ac jucundum. Eorum vero cognitionem atque usum non facilem esse, iisque solum convenire, qui abundent otio, et quibus aetas ad ea studia sufficiat. Et simili modo judicat in vit. Caton. Maj. c. 7. [64])

Dubitari non potest, quin Plutarchus ea, de quibus Romae disseruit, deinde Chaeroneae in scriptis composuerit, et quin opuscula varii et diversi generis sive moralia scripta maximam ad partem ex his lectionibus orta sint, id quod Plutarchus ipse denotat in libr. de inimicorum utilitate cap. 1., quem Cornelio Pulchro dedicavit. Quae, inquit, de ea re nuper mihi disserere subiit, ea totidem propemodum conscripta verbis ad te mitto, omissis maxime his, quae in praeceptis reipublicae administrandae scripsimus; cum videam, illum librum tibi frequenter esse ad manum.

His lectionibus et praecipue scriptis Plutarchus maximam gloriam assecutus est. Eum referendum esse inter sui temporis philosophos, nemo dubitavit, qui vel semel eruditissimi viri libros inspexit, quibus non historiam tantum, atque elegantiores literas, sed philosophiam quoque diligenter illustravit. In philosophia quidem minus eluxit, quam in historia. Ea enim argumenta, quae vel ipse tractavit, modusque ratiocinandi, quem adhibuit, vel quae ex veterum systematibus excerpta illustravit, satis produnt, judicandi in his rebus facultatem ultra mediocritatem non fuisse. Nam in illis saepenumero infirmis rationibus et exiguo argumenti pondere usus est, in his haud raro sectarum mentem pervertit iisque alienam sententiam attribuit. Magis in moralibus quam in physicis valuit. Magna ingenii fertilitate vique quadam imaginationis in varias partes argumentorum, quae exposuit, et in omnem quasi eruditionis campum excurrentis, memoria item excellenti usus est, quae cum magna industria et immenso studio juvaretur, vastissimam ei in optimis disciplinis paravit lectionis copiam. Maxime vero excelluit Plutarchus historia conscribenda et aeternam gloriam sibi paravit vitis parallelis, ita ut non solum ab aequalibus et posteris, sed

---

[64]) „Ὅθεν οὐκ οἶδα τί πεπόνθασιν οἱ τοῦ Λυσίου λόγῳ μάλιστα φάμενοι προςεοικέναι τὸν Κάτωνος. Οὐ μὴν ἀλλὰ ταῦτα μὲν οἷς μᾶλλον ἰδέας λόγων Ῥωμαϊκῶν αἰσθάνεσθαι προςήκει διακρινοῦσιν." —

etiam a viris doctissimis nostri temporis maximis elatus sit laudibus. Elegantissimum ingenii acumen, vitis duorum imperatorum enarratis, in comparatione eorum ostendit, et vere dici potest, nihil praestantius esse hoc opere. —

Cap. VII.

De muneribus Plutarchi.

Optimis literarum studiis excultus mature ad rempublicam Plutarchus accessit. Adhuc juvenis decreto publico a Chaeronensibus ad Proconsulem legatus est constitutus. Totam illam legationem, cum collega ei datus in itinere substitisset, solus confecit. Inde ab hoc tempore usque ad aetatis annum 45. vel 50. itinera quaedam fecit Plutarchus et diutissime Romae commoratus est praecipue ad conscribendas vitas parallelas. Ibi philosophicas quoque lectiones habuit et multum otii iis tribuit, qui philosophiae causa eum conveniebant. Simul se negotiis publicis operam navasse scribit in Demosth. vit. cap. 2. Sed illa negotia publicaeque occupationes quae fuerint, nusquam expresse declaravit.

Non multo vero post mortuum Domitianum rursus Chaeroneae vixit, publico officio fungens. Quod munus inferioris generis fuisse videtur ac nullius momenti. Sed eadem cum cura ac diligentia administravit, ac si maximum et gravissimum fuisset, quia putavit, quodque munus subeundum esse bono civi, omnesque magistratus in summo honore habendos esse, ratus munera a patria tributa nil ignominiae afferre. Qua in re Epaminondam imitatus est, qui a Thebanis, invidia in eum ductis et contumeliae faciendae causa, Telearchus declaratus non detrectavit, immo vero dixit: Non modo magistratu virum, sed etiam viro magistratum, qualis sit, demonstrari. Telearchiam vero, teste Plutarcho [65]), ad magnam dignitatem ac majestatem evexit, cum antea nonnisi fuisset stercorum ex angiportis ejiciendorum ac aquarum derivandarum procuratio quaedam.

---

[65]) Praecept. reip. gerend. cap. 15. §. 2.

Eundem fere magistratum Plutarchum administrasse, ipse dicit[66]): Equidem, inquit, nimirum peregre huc advenientibus risum moveo, cum talia videor frequenter in publico tractare. Incusantibus vero, quod dimensioni testarum adsto atque arenae et lapidum vecturae, respondeo, non mihi me, sed patriae ista administrare. Ut enim sordidus haberi potest, qui multa id genus sibi ipsi tractat suaque causa administrat: ita cum publice ista et commodo civitatis tractantur, nequaquam illiberalis est, sed magna etiam ad exigua haec se demittentis procuratio et officii promptitudo.

Hoc munus Plutarchum sub Nerva et Trajani imperatoris annis primis administrasse ex eodem libro[67]) apparet, ubi de difficultatibus quibusdam dicit, in quas Rhodii nuper sub Domitiano incidissent. Verisimile ergo est circa annum Ch. 100. hunc librum scripsisse Plutarchum, et tum temporis huic officio praefuisse.

Postea Chaeroneae Archon sive Praetor fuit, i. e. magistratum praecipuum gessit, ut ipse dicit[68]), quo tempore Eponymus fui in sacrificiis pleraeque coenae ita agebantur, ut sua cuivis portio tribueretur. Et alio loco[69]): Equidem, cum Archon essem, sacrificium quoddam a majoribus nostris ad nos propagatum, Bulimi expulsionem nominatam, in publico peregi. Nonnulla archontis officia in Quaest. Rom.[70]) nobis occurrunt, ubi Plutarchus: Hoc sane modo, inquit, apud nos coronatum esse, comam alere, ferro armatum,

---

66) ibidem §. 3. „Κἀγὼ δ' ἀμέλει παρέχω γέλωτα τοῖς παρεπιδημοῦσιν, ὁρώμενος ἐν δημοσίῳ περὶ τὰ τοιαῦτα πολλάκις· ἀλλὰ βοηθεῖ μοι τὸ τοῦ Ἀντισθένους μνημονευόμενον. Θαυμάσαντος γάρ τινος, εἰ δι' ἀγορᾶς αὐτὸς φέρει τάριχον. Ἐμαυτῷ γε, εἶπεν· ἐγὼ δ'ἀνάπαλιν πρὸς τοὺς ἐγκαλοῦντας, εἰ κεράμῳ παρέστηκα διαμετρουμένῳ, καὶ φυράμασι καὶ λίθοις παρακομιζομένοις, Οὐκ ἐμαυτῷ γε, φημὶ, ταῦτ' οἰκονομεῖν, ἀλλὰ τῇ πατρίδι. Εἰς γὰρ ἄλλα πολλὰ μικρὸς ἄν τις εἴη καὶ γλίσχρος αὐτῷ διοικῶν, καὶ δὶ αὐτὸν πραγματευόμενος· εἰ δὲ δημοσίᾳ καὶ διὰ τὴν πόλιν, οὐκ ἀγεννὴς, ἀλλὰ μεῖζον τὸ μέχρι μικρῶν ἐπιμελὲς καὶ πρόθυμον." —

67) Praec. reip. ger. cap. 19. §. 9.

68) in Quaest. conv. II. 10. cap. 1. §. 1. „Ὅτε τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν ἦρχον οἴκοι etc."

69) in Quaest. conv. VI. 8. cap. 1. §. 2. „Ἄρχοντος οὖν ἐμοῦ, πλείονες ἐκοινώνουν τῆς θυσίας."

70) cap. 40. Διὸ καὶ παρ' ἡμῖν τὸ μὲν στεφανηφορεῖν καὶ κομᾷν καὶ [μὴ] σιδηροφορεῖν, μηδὲ τοῖς Φωκέων ὅροις ἐμβαίνειν, ἴδια λειτουργήματα τοῦ ἄρχοντός ἐστι· τὸ δ'ὀπώρας μὴ γένεσθαι πρὸ ἰσημερίας μετοπωρινῆς, μηδ' ἄμπελον τέμνειν πρὸ ἰσημερίας ἐαρινῆς, ὁμοῦ τε πᾶσι δηλοῦται διὰ τοῦ ἄρχοντος· ἑκατέρου γὰρ ὁ καιρὸς ἐκεῖνός ἐστι." —

Phocensium fines non ingredi, singularis liturgia archontis est. Pomum non gustare ante aequinoctium autumnale, vitem non amputare ante aequinoctium vernum, per archontem omnibus indicitur; utrumque enim ut suo tempore fiat ab eo edicitur.

Qua moderatione ac modestia hoc munus gesserit, ex iis cernitur, quae ad universum in Praecept. ger. reip. cap. 17. §. 2. dicit et cap. 20. §. 3. Praestantiores viros colere convenire, inferiores ornare, aequales in honore habere, universos autem amplecti atque amare, quippe quos omnes respublica communi vinculo conjunxerit. In majoribus illis dignitatibus, qualis est Athenis praetura, Rhodi prytania et apud nos boeotarchia ea moderatione versari aequum est, ut nonnihil de eorum majestate ultro remittat, minoribus aliquid dignitatis atque amplitudinis conciliet atque superiorum magistratuum honoribus inferiores vicissim exornet, quo in his a contemtu se, in illis ab invidia tutum praestet.

Denique in summa senectute Apollinis Pythii sacerdotium multa quadriennia gessit. Novisti, inquit [71]), mi Euphanes, me Apollinis Pythii sacra multas jam Pythiadas curare; verumtamen non opinor, te in hunc modum me allocuturum: jam satis est sacrificiorum, mi Plutarche, satis pomparum ac saltationum; non te senem animadvertis! jam tempus est, ut provectae aetatis rationem habeas; senectus te oracula relinquere et coronam deponere jubet. Sacerdotii collegam ipse Euthydemum nominat [72]).

Plutarchus simul cum Polycrate et Petraeo Delphos ornandos novaque aedificia ibi exstruenda curavit, ut ex ipsius Plutarchi verbis patet. Nobis autem, inquit [73]), optima ac splendidissima signa dedit Apollo, ex tanto qui praecessit squalore, solitudine et pauperie ad tantas copias, splendorem honoremque nos evehens. Ego sane amo me ipsum eo nomine, quod ad has res factus sum alacer et utilis cum Polycrate et Petraeo; amo etiam hujus conditionis auctorem ducemque, qui pleraque horum excogitavit atque adornavit. Sed

---

[71]) Plut. Quaest. an seni resp. ger. sit. cap. 17. §. 3. „Καὶ μὴν οἶσθά με τῷ Πυθίῳ λειτουργοῦντα πολλὰς πυθιάδας· ἀλλ' οὐκ ἂν εἴποις, Ἱκανά σοι, ὦ Πλούταρχε, τέθυται καὶ πεπόμπευται καὶ κεχόρευται, νῦν δὲ ὥρα πρεσβύτερον ὄντα τὸν στέφανον ἀποθέσθαι, καὶ τὸ χρηστήριον ἀπολιπεῖν διὰ τὸ γῆρας."

[72]) in Quaest. conv. VII. 2. cap. 2. §. 1. Εἶχον μὲν οὖν ἀρνούμενος οὐ φαύλους συνηγόρους, Εὐθύδημον τὸν συνιερέα, καὶ Πατροκλέα τὸν γαμβρὸν, οὐκ ὀλίγα τοιαῦτα τῶν ἀπὸ γεωργίας καὶ κυνηγίας προφέροντας." —

[73]) in Lib. de Pythiae oracul. cap. 27. extremo.

fieri non potuit, ut tam ingens mutatio tantillo temporis spatio accideret sola hominum industria, deo non praesente. Quis hujus melioris conditionis auctor fuerit, ignotum est; verisimile est Hadrianum imperatorem fuisse, quem constat omnino de Graecia magnopere meritum esse, et Plutarchum Graeciae procuratorem constituisse, Georgius Syncellus tradit.

Plutarchum Trajano Augusto fuisse a consiliis, immo et huic principi erudiendo adpositum multi putarunt, et praecipue Salesberiensis, qui in Polycrat. libr. V. c. 1. epistolam ejus ad Trajanum scriptam refert, cum imperium susciperet, in qua imperatori gratulatus praecepta gerendi imperii ei commendat. Quare colligere liceret, Trajanum, antequam imperii habenas capesseret, Plutarchum praeceptorem habuisse. Verum epistolae ratio et a moribus Plutarchi tota aliena, et lingua in qua scripta est Latina, opus suppositum satis produnt. Senex enim demum Latinam linguam didicit Plutarchus et graece ad imperatorem scripsisset. Si Trajanum instituisset, certe in prooemio apophthegmatum hoc memorasset, occasione optima data. Praeterea Plutarchus modo 4 vel 5 annos major natus fuit quam Trajanus. Novum vero inauditumque est, privatum, non dico principem, aequalem praeceptorem habere. Hadriani potius fuit praeceptor, qui postquam fuit adoptatus a Trajano, Trajanus Hadrianus dicebatur; quo factum est, ut alii, nomine Trajani Hadriani decepti, perperam scriberent, Plutarchum fuisse Trajani praeceptorem.

Suidas narrat, Plutarchum a Trajano ornatum esse consulari dignitate, et in Illyride omnes ejus provinciae magistratus sibi obnoxios habuisse. Hujus vero auctorem non invenimus, quare fictum esse videtur. Plutarchus enim non oblitus esset, de hac re dicere et gratias agere imperatori. Etiam parvula exiguaque munera, quibus fungebatur, memorans, certe hosce honores a Trajano acceptos non omisisset. Ultimis aetatis annis Graeciae procurator factus est Plutarchus ab Hadriano. —

Cap. VIII.

Plutarchus paterfamilias.

Postquam cognovimus, quae munera Plutarchus administraverit et quomodo ipse extrinsecus egerit, nobis quaerendum est, quomodo in domo sua se gesserit, qualis maritus et paterfamilias fuerit.

In matrimonium duxit Timoxenam, nobilissima Chaeroneae familia oriundam, quae omnes mulieres sapientia ac virtute superabat. Ex ea quatuor filios genuit et filiam, delicias patris et matris, cui et matris nomen imposuit, amore in eam commotus [74]). Duos vero annos nata diem supremum obiit haec filia, postquam antea jam duo filii, maximus et minimus, Autobulus et Chaeron e vita decesserant. Exstat Plutarchi consolatio ad uxorem de filiae morte, de qua Tanagrae certior factus est, cum nuntius itinere aberrans eum Athenis non invenisset. Negotiis vero implicitus aliquamdiu Tanagrae morari coactus erat, et metuens, ne uxor nimis ingenti dolore afficeretur, quem ex insperato carissimae filiolae obitu contrahere absente viro illa potuisset, misit ei consolationem vel epistolam, qua eam seque ipsum de pignoris tam cari morte nititur consolari. Simul in ea epistola Timoxenae imaginem pulcherrimam nobis reliquit. Dicit enim, liberam eam esse ab omni superstitione, modestia ac moderatione omnibus antecellere, simplicitate ac probitate maxima insignem, ne ad theatrum quidem aut solemnes pompas unquam se exornare consuevisse; luxumque adeo ad ipsas voluptates inutilem putasse. Eam Plutarchus laudat, quod vestem lugubrem non sumserit, et in sepultura omnem luxum insolentem aut magnificum omiserit, et omnia peregerit modice et tacite. Nam frugalitate ejus, quod vel ad corporis cultum vel ad victus rationem pertineat, sua familiaritate et consuetudine usos in sui admirationem magnam eam traxisse. Jam vero etiam in simili jactura eam plurimam constantiam prae se tulisse et magnam animi gravitatem declarasse, liberorum maximo natu morte amisso; atque iterum, cum amatissimus Chaeron defunctus esset morte. Tum temporis sibi a mari cum hospitibus domum redeunti allatum esse de pueri morte nuntium; socios, cum omnia domi pacata altamque offendissent tranquillitatem et ex ejus incessu, veste, voce, oculis nequaquam mortem divinassent, opinatos fuisse, nihil accidisse adversi, vanumque fuisse illum rumorem. Tam modeste eam domum adornasse eo ipso tempore, quod magnam confusionis materiam praebuerit. Timoxenam praecipuis laudibus effert Plutarchus, quod

---

74) cf. Plut. consol. ad uxorem cap. 2. „Ταύτην δὲ, ὅτι καί σοι ποθούσῃ θυγάτηρ μετὰ τέσσαρας υἱοὺς ἐγεννήθη, κἀμοὶ τὸ σὸν ὄνομα θέσθαι παρέσχεν ἀφορμὴν, οἶδα ἀγαπητὴν διαφερόντως γενομένην.“ —

quam maximum amorem in liberos habuisset iisque sua ipsius ubera praebuisset, cum mammae collisionem passae sectionem sustinuisset [75].

Quomodo Plutarchus et Timoxena una consueverint, colligere licet ex praeceptis conjugalibus, quae ipsa ex domestica Plutarchi ratione orta videntur esse. Semper enim ei perpetua gratia atque amicitia cum ea erat, neque ulla discordia unquam inter eos orta est. Eodem modo cum propinquis et civibus pacem coluit Plutarchus. Uxore enim in matrimonium ducta, ob dissidium quoddam et rixam, quae parentibus uxoris inciderat, cum Timoxena in Heliconem profectus est [76], Amori sacrificatum, qui rixarum expulsor credebatur. Certe Plutarchus, quae voluit, assecutus est; nihil enim tantopere cordi animoque ei fuit, nisi concordiam et amicitiam mutuam servare. Maximi momenti putabat disceptationes inter cives dirimere, quae quidem ab initio parvae semper in dies crescunt et in maximum augentur, ut scintilla sub favilla occulta postea incendium magnum provocat, quo urbs tota diruitur.

Plutarchus fuit bonus filius, bonus pater, bonus maritus, bonus dominus, bonus civis; ut breviter dicam, omnia officia optime perfecit et ad leges, quas ipse aliis in libris philosophicis praescripsit, vixit integerrime atque sanctissime. Vidimus quanta caritate patrem, uxorem et liberos amaverit; sed non solum ad propinquos et affines haec comitas pertinuit, sed etiam ad servos. Equidem, inquit [77], illiberalis esse hominis puto, servos ut jumenta oneraria adhibere, et Catonem Majorem vituperat et adnumerat hominibus nimis austeris, nec ullum extra quaestum homini cum homine esse consortium existimantibus, quod servis tamquam jumentis abutens, eos senio confectos et nulli rei sibi amplius utiles venderet et expelleret. Subjicit autem latius patere benignitatem quam justitiam. Lege et justitia tantum in homines nos uti posse; benignitatem autem ac benevolentiam in animalia quoque adhibendam esse, et hominis natura mitis esse, vel equis labore confectis alimenta non subducere, et canum tam incunabula quam inertem senectutem fovere. Deinde Plutarchus suam indolem ac humanitatem magis ostendens addit: Neque enim animantibus, ut calceis aut utensilibus uti nos oportet, quae fessa detritaque usibus abjicimus: sed si

---

75) v. Plut. consol. ad uxor. cap. 5. „Καίτοι τῷ σεαυτῆς ἐκεῖνον μαστῷ ἐξέθρεψας, καὶ τομῆς ἠνέσχου τῆς θηλῆς περίθλασιν λαβούσης. Γενναῖα γὰρ ταῦτα καὶ φιλόστοργα."

76) v. Plut. Lib. Amator. cap. 2.

77) Plut. in vit. Cat. Maj. cap. 5.

non ullius rei, certe meditandae humanitatis causa, in his ad mansuetudinem et benignitatem nos adsuefacere debemus. Equidem ne bovem quidem aratorem, senio confectum, nedum hominem aetate affectum ex loco usitato et vita consueta, quasi ex patria transferre ac levi pecunia venumdare velim, aeque inutilem ementibus ac vendentibus.

Quae lenitas non impedivit Plutarchum, quominus servos poena dignos puniret, sed ita ut irae suae egregie moderaretur, quod Taurus philosophus apud Aulum Gellium memorat [78]). Plutarchus, inquit, servum suum, hominem contumacem, sed quandam philosophiae cognitionem habentem ob delictum quoddam flagellis caedi jussit. Servus vero obloquebatur, se non meruisse, ut vapularet, nil mali commisisse. Postremo vociferari coepit et verba objurgatoria fecit, turpe esse philosophum irasci, et nequaquam Plutarcho convenire, quod iratus plurimis plagis se afficeret. Tum Plutarchus leniter: Nunc ego, inquit, tibi irasci videor? Ex vultu et voce correptum me ira esse intelligis? Mihi quidem neque oculi truces sunt, neque os turbidum, neque immaniter clamo. Et simul ad eum qui caedebat conversus: interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, hoc tu age. —

Quin vera sit haec fabula, dubitare non possumus, cum consentiat cum iis quae Plutarchus ipse dicit [79]): Omnes quidem affectus, ait, rationi subjiciendos esse, difficillimum vero iram in servos opprimere. Equidem, pergit, cum mollities ac socordia nimia vitio mihi daretur, ad iram in servos perductus sum, ratus eos pejores fieri impunitate. Attamen vidi praestare, eos indulgentia pejores reddere, quam se ipsum saevitia ac furore aliorum corrigendorum causa pervertere. Multi impunitate quoque eo adducuntur, ut mali esse vereantur, et mutandorum morum initium venia potius, quam poena iis praebet. Omnino a punitione non abstinere debemus, sed recte et tempestive, utiliter ac convenienter puniendum est. Maxime conor iram amoliri, quod defensione puniendos non privo, sed audio. Nam tempus et moram perturbationi injicit et cunctationem, quae motum mitiget; et judicio invenitur ratio conveniens modusque poenae justus. Ut enim per nebulam corpora, sic per iram res videntur majores. Itaque ubi animus perturbatione vacat, tum si factum rationi purae ac sincerae videatur poena dignum, in id animadvertere oportet, neque tum omittere vindictam.

---

78) A. Gellius Noct. Attic. lib. I. cap. 26.
79) Plut. in lib. de ira cohib. cap. 11.

Jam vero ab inconstantia, mutabilitate, ira, ulciscendi se desiderio Plutarchus abhorrebat, et eum semper conatum esse haec vitia opprimere ex alio loco apparet [80]), ubi: Enimvero praeoptarim, inquit, homines de me dicant, nullum omnino fuisse, neque esse Plutarchum, quam ut dicatur: Plutarchum hominem inconstantem, mutabilem, pronum ad iram, vindictae ob levissimas causas cupidum, ob minima quaeque indignantem: qui si vocandis ad coenam aliis ipsum praetereas, aut occupatione impeditus ad eum non veneris salutatum, mordicus arrepto tibi corpus exedat, aut filium abreptum excarnificet, aut belluam ad hoc educatam frugibus tuis immittat vastetque proventus telluris.

Plutarchus et Timoxena Bacchi sacris initiati erant [81]).

Divitiis Plutarchus non caruisse videtur. Dicit enim in consol. ad uxorem cap. 9. „Noli respicere lacrymas hominum, qui ad te veniunt casum tuum miserantes; sed potius considera, quomodo ii tibi invideant ob liberos, domum, vitam.“ Si Plutarchi domus invidiam excitabat, ejus sors optima fuisse debet; ac jam patri Plutarchi magnae erant divitiae, quas filio reliquit. Opes et fortunae bona Plutarcho fuisse, ex alio quoque loco [82]) concludere licet, ubi se felicem nominat, quod numquam coactus fuisset, pecuniam accipere fenore: Neque, inquit, hoc me dicere putetis, quasi qui bellum feneratoribus indixerim: „Numquam enim mihi boves equosve deduxerunt,“ acute haec verba ad tocullionum crudelitatem adhibens, quae Achilles Trojanis dixerat, qui Menelai uxorem abripuerant. —

---

80) Plut. in lib. de superstit. cap. 10. „*Ἔγωγ᾽ οὖν ἂν ἐθέλοιμι μᾶλλον [τοὺς] ἀνθρώπους λέγειν περὶ ἐμοῦ, μήτε γεγονέναι τοπαράπαν μήτε εἶναι Πλούταρχον, ἢ λέγειν, ὅτι Πλούταρχός ἐστιν ἄνθρωπος ἀβέβαιος, εὐμετάβολος, εὐχερὴς πρὸς ὀργὴν, ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι τιμωρητικὸς, μικρόλυπος· ἂν καλῶν ἐπὶ δεῖπνον ἑτέρους, παραλίπῃς ἐκεῖνον· ἂν, ἀσχολίας σοι γενομένης, ἐπὶ θύρας μὴ ἔλθῃς, ἢ μὴ προςείπῃς· διέδεταί σου τὸ σῶμα προςφὺς, καὶ συλλαβὼν ἀποτυμπανιεῖ τὸ παιδίον, ἢ θηρίον ἔχων τοῖς καρποῦς ἐφήσει, καὶ λυμανεῖται τὴν ὀπώραν.*“

81) cf. Plut. consol. ad uxorem cap. 10. „*οἶδα, ὅτι κωλύει σε πιστεύειν ὁ πάτριος λόγος καὶ τὰ μυστικὰ σύμβολα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον ὀργιασμῶν, ἃ σύνισμεν ἀλλήλοις οἱ κοινωνοῦντες.*“

82) v. Plut. lib. de vitando aere alieno cap. 6. „*Καὶ ταῦτα μή με οἴεσθε λέγειν πόλεμον ἐξενηνοχότα πρὸς τοὺς δανειστάς·*

Οὐ γάρ πώποτ᾽ ἐμᾶς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους.“

Cap. IX.

De liberis Plutarchi.

Plutarchum quatuor habuisse filios, quos ipse domi educavit atque erudivit, ex ipsius scriptis constat [83]).

Quorum maximus natu Autobulus fuit, qui aetatem jam virilem assecutus, Plutarcho vivo, defunctus est. Is uxorem in matrimonium duxerat, cum Plutarchus tradat [84]), Sossium Senecionem nuptiis filii Autobuli interfuisse. In nuptiis Autobuli filii, inquit, aderat una in festivitate Sossius Senecio, Chaeronea ad nos profectus. Cum Sossius Senecio a Chaeronea, ubi Plutarchum tum temporis non invenit, ad nuptias proficisceretur, certe nuptiae in vicina urbe celebratae sunt, et verisimile est, Tanagrae Autobulum lares fixisse. Initio enim consolationis ad uxorem Plutarchus dicit, se Tanagrae ex nepte filiae mortem comperisse, quae verba fortasse ad Autobuli filiam referenda sint, cum ceteri filii adhuc caelibes essent, neque filiam nuptam Plutarchus haberet. Hunc locum, qui ita se habet: „*ἐγὼ δ' εἰς Τάναγραν ἐλθὼν ἐπυθόμην παρὰ τῆς θυγατριδῆς.*" Reiske correxit pro *παρά* praepositionem *περί* ponens, ita ut interpretandum sit: de filia (Timoxena) audivi, cum *θυγατριδῆ* idem significaret ac *θυγάτηρ*.

Annum aetatis 30. certe non superavit Autobulus; e vita enim decesserat [85]), cum Timoxena, Plutarchi filia, duos annos nata diem supremum obiret. Quam ob rem vehementer

---

83) Plut. consol. ad uxor. cap. 2. „*οἶσθα δὲ καὶ αὐτή, τοσούτων μοι τέκνων ἀνατροφῆς κοινωνοῦσα, πάντων ἐκτεθραμμένων οἴκοι δι' αὐτῶν ἡμῶν. Ταύτην δέ, ὅτι καί σοι ποθούσῃ θυγάτηρ μετὰ τέσσαρας υἱοὺς ἐγεννήθη,* etc."

84) in Quaest. conv. IV. 3. cap. 1. „*Ἐν τοῖς Αὐτοβούλου τοῦ υἱοῦ γάμοις συνεώρταζεν ἡμῖν παρὼν ἐκ Χαιρωνείας ὁ Σόσσιος Σενεκίων.*"

85) cf. Plut. consol. ad uxor. cap. 5. „*Ἤδη δὲ καὶ περὶ τὰ τοιαῦτα πολλὴν εὐστάθειαν ἐπεδείξω, τὸ πρεσβύτατον τῶν τέκνων ἀποβαλοῦσα.*"

Jonsius[86]) errat, qui Eusebii verba, anno Ch. 119. Agathobulum philosophum floruisse, de Autobulo intelligi vult, cum hoc tempore noster Autobulus jam pridem mortuus esset.

Hujus filii Plutarchus permultis scriptorum locis mentionem fecit[87]).

Post Autobulum Plutarchus Lampriam genuit, cui nomen avi inditum erat; hic patris scriptorum indicem sive catalogum scripsit, teste Suida[88]), qui adhuc exstat, extremo deperdito.

Tertius filius Charon, vel potius Chaeron a Chaeroneae conditore nominatus, ut Xylander conjecit, primis aetatis annis mortuus est[89]).

Plutarchus, minimus natu, postea illustris philosophus floruit[90]).

Post quatuor filios Plutarcho desideranti filia nata est, cui matris nomen Timoxenae imposuit. Post biennium vero morte abrepta est[91]).

Sed hic mihi subsistendum est, ne hujuscemodi schedarum fines transgrediar; iterum mihi oblata occasione, rem inchoatam absolvam, Deo non abnuente, et inquiram, num Soclarus et Eurydice Plutarchi liberi habendi sint necne. Praeterea de propinquis et amicis Plutarchi loquar, et postremo de philosophia Plutarchi et de scriptis mihi disserendum est. —

---

86) v. de script. histor. philos. lib. III. cap. 6. pag. 29.

87) Autobulus refert sermonem Amatorium; colloquium facit cum aliis de solertia animalium; colloquitur in Quaest. conv. VIII. 2; 6 et 10.

88) cf. Script. Graec. minor. vit. ed. Westermann, pag. 343. „*Λαμπρίας, Πλουτάρχου τοῦ Χαιρωνέως υἱός· ἔγραψε πίνακα ὧν ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἔγραψε περὶ πάσης Ἑλληνικῆς καὶ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας.*“

89) Plut. cons. ad uxor. cap. 5. „*καὶ πάλιν, ἐκείνου τοῦ καλοῦ Χαίρωνος ἡμᾶς προλιπόντος.*“

90) ad eum et Autobulum Plut. Libr. de animae procreatione in Timaeo Platonis scripsit.

91) Plut. consol. ad uxor. cap. 8. „*Τὴν δ' ἐν μέσῳ διετίαν ἐξαιρεῖν μὲν οὐ δεῖ τῆς μνήμης, ὡς δὲ χάριν καὶ ἀπόλαυσιν παρασχοῦσαν, ἐν ἡδονῇ τίθεσθαι.*“

